

Cambridge University Press


978-1-108-00039-0 - Cambridge University Transactions During the Puritan Controversies of the 16th and 17th Centuries, Volume 1

Edited by James Heywood and Thomas Wright

Excerpt

[More information](#)

UNIVERSITY OF CAMBRIDGE.



THE STATUTES OF THE REV. DR. WHITGIFT,

MASTER OF TRINITY COLLEGE, CAMBRIDGE, AND OTHERS,

GIVEN TO THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE A.D. 1570 BY THE AUTHORITY
OF QUEEN ELIZABETH.

STATUTA REGINÆ ELIZABETHÆ, AN. XII^{mo} EDITA.

ELIZABETHA Dei gratia Angliæ, Franciæ, et Hiberniæ Regina, Fidei Defensor, &c., dilectis nobis cancellario, magistris, et scholaribus Universitatis Cantabrigiensis salutem. Quanta rerum vestrarum cura nos perpetuo sollicitat, dum utilitati academiæ vestræ studemus, non tam privilegia a nostra benignitate vobis concessa, quam legum et statutorum vestrorum nova quædam dispositio manifeste declarant: quorum altero injuriis obsistere, quieteque studiis vestrīs incumbere, altero concordiæ rectæque reipublicæ vestræ gubernationi consulere possitis. De illo abunde satis a nobis est prospectum: istud quidem licet

Cambridge University Press

978-1-108-00039-0 - Cambridge University Transactions During the Puritan Controversies of the 16th and 17th Centuries, Volume 1

Edited by James Heywood and Thomas Wright

Excerpt

[More information](#)

2

WHITGIFT'S STATUTES.

[1570]

jamdiu a nobis inchoatum esse non ignoramus, ac leges interea exercendas vobis dederimus, usu tamen atque experientia, optima efficacique rerum magistra, edocti animadvertisimus in illis aliqua esse correctione digna. Rursus crescente hominum audacia, nimiaque licentia, aliquas novas prioribus esse duximus adjiciendas. Negotia etiam quae de novo emerserunt, novo indigere auxilio facile cernimus. Nunc vero cum ista omnia accurate, ut speramus, sunt absoluta et perfecta, ea a vobis omnibus, cum ea qua decet obedientia atque animi alacritate recipienda sunt. Leges igitur ac statuta hoc libello conscripta, atque summa nostra regia autoritate sancita, vobis in vestrum commodum mittimus ac promulgamus, diligenterque atque fideliter a vobis observanda proponimus: quod dum feceritis, illisque, ut oportet, ex animo parueritis, non solum a Deo opt. max. et a nobis laudem et præmium expectabitis, verum etiam una cum pietatis atque optimarum artium non modico incremento omnes gradus in academia in pulcherrimum ordinem adducetis, illiusque famæ ac dignitati optime prospicientes florentissimam efficietis. Ac tandem (quod apud nos non minimi est momenti) exemplo vestro, tanquam in omnium oculis et monte positi, reliquum populum nostrum ad consimilem legum nostrarum observationem, ac ad pacem, concordiam, veramque obedientiam, trahetis atque perducetis; digni regio favore, digni virtutis ac literarum præmio. Sed quoniam exhortatio liberam excitat voluntatem, mandatum necessitatem facit; nec omnes virtutis amore, sed plures pœnæ metu ad leges custodiendas coguntur: omnibus igitur quibus jurisdictione in hac parte competit, maximeque vobis, qui potestatem publicam academiæ exercetis, vel singulorum collegiorum gubernacula tenetis, mandamus, ut et vos ipsi statuta ista, quatenus ad vos pertineant, observetis, et a reliquis omnibus diligentiam in iisdem observandis exigatis, illorumque executioni totis viribus incumbatis. Si vero (quod absit)

Cambridge University Press

978-1-108-00039-0 - Cambridge University Transactions During the Puritan Controversies of the 16th and 17th Centuries, Volume 1

Edited by James Heywood and Thomas Wright

Excerpt

[More information](#)

1570]

DURATION OF THE TERMS.

3

favore, gratia, lenitate, vel incuria vestra ea contemni, negligi, vel non observari aliquando contigerit; vos, quibus illorum executio demandata est, quique aliorum gubernationem suscepistis, hujus transgressionis reos judicabimus, atque a vobis exactam illius rei rationem exposcemos. Dominus Jesus et voluntatem in vobis has leges custodiendi, bonasque literas pietatemque discendi, et facultatem easdem ad ipsius gloriam exercendi et execuendi, concedat. Datum apud manerium nostrum de Reding, 25^o Septemb^r. anno regni nostri 12^o, et anno Christi 1570^o. In cuius rei testimonium has literas nostras, manu nostra signatas, magno sigillo nostro Angliæ muniri fecimus, die et anno supradictis.

Leges sive statuta Cantabrigiensis academiæ.

Deum timeto, regem honorato, virtutem colito, disciplinis bonis operam dato. Sed qui reipublicæ vult leges et instituta proponere, non solum laboris, verum et otii debet rationem habere: interest enim studiosorum hominum et literatorum nonnunquam laxatos habere animos, ut ad studia contentiores veniant. Et quanquam literarius labor re quidem vera sit suavissimum otium, tamen et otium suum habet negotium, et intermissionem propterea requirit. Itaque lectionibus et disputationibus publicis fines terminosque ponamus.

1. De terminorum assignatione.

Primus lectionum et disputationum dies erit a decimo die Octobris usque ad decimum sextum Decembris, secundus terminus erit a tertio decimo die Januarii ad decimum ante Pascha diem. Undecimo post Pascha redintegrabuntur disputationes et lectiones publicæ usque ad diem Veneris comitia sequentem. Terminus vacationis erit a die supradicto usque ad decimum Octobris: in quo propter intemperiem coeli, et pestis atque contagionis pericula, nec

Cambridge University Press

978-1-108-00039-0 - Cambridge University Transactions During the Puritan Controversies of the 16th and 17th Centuries, Volume 1

Edited by James Heywood and Thomas Wright

Excerpt

[More information](#)

publicæ lectiones (præter regias) nec disputationes sint in academiæ scholis, quæ momentum aliquod ad gradus adipiscendos adferant. Licebit tamen cuvis eo tempore suæ exercitationis causa publice quidvis prælegere, aut etiam disputationem ibidem instituere, venia tamen prius a cancellario data.

II. De baccalaureorum inauguratione et magnis comitiis.

Solennis et annua sit professio baccalaureorum die Mercurii primam Dominicam Quadragesimæ præcedenti, et prorogetur ad diem Jovis post quartam Dominicam ejusdem, quo tempore omnes quæstionistæ antiquum et solitum examen subibunt. Et magna comitia, cooptatio atque inauguration cæterorum ordinum primo Martis Julii: quo tempore, si pestis obfuerit, aut alia gravior causa fuerit, quo minus solennes ritus possint peragi, in primum diem Martis Octobris, vel alium quemcunque diem, differantur, judicio cancellarii præscribendum.

III. De lectoribus publicis.

Qui prælegerit theologiam, jus civile, medicinam, aut mathematicam, quaternis diebus in hebdomada ad minimum legat, nempe, Lunæ, Martis, Mercurii, et Jovis. Quod si festus dies intercurrat, in alio die supplebit, ut omnino quatuor dierum lectio præcise observetur. Linguarum professores, philosophiæ, dialecticæ, et rhetorices eandem in legendu formam observabunt: quod ni fecerint, regii professores decem solidis pro qualibet lectione, quam omiserint, mulcentur. Et mulctæ quidem lectorum theologiæ, Hebraicæ et Græcæ linguæ, secundum præscriptum statuti Collegii Trinitatis in usum dicti collegii reddantur. Mulctæ duorum, juris civilis et medicinæ, per vicecancellarium exigantur. Reliqui autem quatuor ordinarii et publici lectores pro qualibet lectione, quam omiserint, solvent tres solidos et quatuor denarios. Et si quispiam præ-

Cambridge University Press

978-1-108-00039-0 - Cambridge University Transactions During the Puritan Controversies of the 16th and 17th Centuries, Volume 1

Edited by James Heywood and Thomas Wright

Excerpt

[More information](#)

1570]

OF PUBLIC LECTURES.

5

dictorum lectorum dies illos quatuor interpolatos sumere malit, quam continuos, sub finem præcedentis lectionis auditores suos intermissionis hujusmodi commonefaciat, sub poena prædicta.

iv. De temporibus lectionum et libris prælegendis.

Tempora lectionum publicarum referuntur ad judicium vicecancellarii, qui pro tempore fuerit, et magistrorum collegiorum. Theologicus prælector tantum sacras literas doceat atque profiteatur. Jurisconsultus Pandectas, Codicem, vel ecclesiastici regni nostri jura, quæ nos edituri sumus, et non alia, prælegat. Philosophicus lector Aristotelis Problemata, Moralia, Politica, Plinium, vel Platonem, publice doceat. Medicinæ lector, Hippocratem vel Galenum. Mathematicus professor, si cosmographiam doceat, Melam, Plinium, Strabonem, aut Platonem, enarret; si arithmeticam, Tonstallum aut Cardanum, &c.; si geometriam, Euclidem; si astronomiam, Ptolomæum. Dialectices professor, Aristotelis Elenchos, aut Topica Ciceronis. Prælector rhetorices, Quintilianum, Hermogenem, aut aliquem alium librum Oratoriarum Ciceronis. Quos omnes libros vulgari lingua pro captu et intelligentia auditorum explicabit. Interpretabiturque Græcæ linguæ professor Homerum, Isocratem, Demosthenem, Euripidem, aut alium ex antiquioribus, et artem una cum proprietate linguæ docebit. Lector Hebraicus non nisi ex fontibus Sacræ Scripturæ præleget, simulque grammaticam Hebraicam et linguæ proprietatem docebit. Omnes unius atque ejusdem scientiæ lectiones una atque eadem hora legant atque concurrant.

v. De publicarum lectionum auditoribus.

Nullus scholaris quoconque gradu et nomine censeatur, sive collegiorum stipendiis sustentetur, sive suis sumptibus alatur, ullam publicam lectionem, ejus professionis cui des-

Cambridge University Press

978-1-108-00039-0 - Cambridge University Transactions During the Puritan Controversies of the 16th and 17th Centuries, Volume 1

Edited by James Heywood and Thomas Wright

Excerpt

[More information](#)

6

WHITGIFT'S STATUTES.

[1570]

tinatus est, omittat: sed a principio usque ad finem quiete et attente eam audiat: nullaque ejus excusatio admittatur, nisi infirmitatis, vel alterius urgentissimæ necessitatis, prius vel post intra triduum per absentem a lectione ultiro alleganda et per procancellarium vel procuratores approbanda. Qui huic ordinationi non paruerit, pro prima vice pretium commeatus unius diei, pro secunda, trium, pro tertia, unius hebdomadæ, pro quarta, duarum hebdomadarum persolvat. Quod si alicujus negligentia et contumacia longius processerit, pro arbitrio domini procancellarii puniatur. Magister, præses, aut præpositus cujusque collegii hanc mulctam ad denuntiationem et petitionem cancellarii, ab eo qui peccaverit exigito, et persolvito, dividendam æqualiter inter academiam, procuratores, et præcones. Atque quo certius constet qui cuique lectioni interesse teneantur, volumus, ut primarii lectores omnium collegiorum, ab aliquo præconum triduo ante initium cujusque termini admoniti, scedulam, nomina singulorum sociorum, discipulorum, pensionariorum, sisatorum, subsisatorum in suis collegiis commorantium continentem, et quas lectiones quilibet audire et frequentare debeat, intra tres dies procuratoribus vel eorum alteri exhibeant. Quod si illi admoniti non fecerint, sive bedelli per vices neglexerint, qui delinquit, sex solidorum et octo denariorum mulctam incurrat. Quinetiam ne quispiam in fraudem prædicti statuti et ordinationis delinquens impune latere possit, statuimus ut decani cujusque collegii, aut si nullus sit ibi decanus, tunc primarii lectores, monitores singulis septimanis pro qualibet dictorum auditorum classe (artium magistros, legum, musicæ, et medicinæ baccalaureos, et superiores gradus excipimus) constituant. Qui iidem monitores, nisi singulis diebus, quibus professores legere contigerit, statim finita lectione schedulam absentiū, sero venientium, vel exeuntium, alteri bedellorum in scholis tradiderint, pro qualibet vice duodecim denariis mulctentur. Porro ut magistri artium, legum baccalaurei,

Cambridge University Press

978-1-108-00039-0 - Cambridge University Transactions During the Puritan Controversies of the 16th and 17th Centuries, Volume 1

Edited by James Heywood and Thomas Wright

Excerpt

[More information](#)

1570]

OF BACHELORS OF ARTS.

7

et qui sunt superioris gradus, suas etiam lectiones diligenter frequentent, collegiorum præpositi aut eorum locum tenentes sedulo providebunt.

vi. De ratione studiorum, et quibus modis ad altiores gradus dignitatis juvenes promoventur.

Primus annus rhetoricam docebit, secundus et tertius dialecticam, quartus adjungat philosophiam, et artium istarum domi forisque pro ratione temporis quisque sit auditor: in hoc quadriennio bis quisque disputato in publicis scholis, bis respondeto in suo grege. Quæ si perfecerit, et post consuetum examen dignus videatur, post completum quadriennium, et non antea, baccalaureus esto. Ita tamen quod prius respondeat quæstioni, et stet in Quadragesima more consueto usque ad postremum actum, et super his cautionem realem exponat.

vii. De baccalaureis artium.

Hi auditores assidui philosophicæ lectionis, astronomiæ, perspectivæ, et Græcæ linguae sint: idque quod inchoatum antea erat, sua industria perficiant. Intererunt cunctis magistrorum artium disputationibus, aperto capite, nec abibunt inde nisi a procuratoribus petita venia. Baccalaureus quisque ter respondebit magistro objicienti; bis in sui gregis exercitatione respondebit; declamabitque semel. In his ubi justum trium annorum spatium versatus fuerit, et hæc illum perfecisse constiterit, postquam solenniter productus fuerit, cooptabitur in magistrorum ordinem. Jurabunt autem singuli magistri artium in comitiis suis de regentia sua per quinquennium retinenda; et cursu disputationum toto hoc tempore servando; post quod tempus non-regentes erunt. Regentes autem in artibus, qui ante hæc statuta inauguriati sunt, regentiam suam retinebunt ad quinquennium a tempore inaugurationis suæ numerandum,

Cambridge University Press

978-1-108-00039-0 - Cambridge University Transactions During the Puritan Controversies of the 16th and 17th Centuries, Volume 1

Edited by James Heywood and Thomas Wright

Excerpt

[More information](#)

8

WHITGIFT'S STATUTES.

[1570]

et non ultra: et si quinquennium illud jam elapsum sit,
statim non-regentes erunt.

viii. De magistris artium.

Magister artium sedulus erit theologiae atque Hebraicæ lectionis quotidianus auditor: quibus rebus annorum septem dabit operam: quo spatio bis disputabit contra theologiae baccalaureum: semel post quartum annum respondebit in theologia: concionabitur Latine semel et semel Anglice in academiæ templo, et semel ad Crucem Divi Pauli infra annum post gradum baccalaureatus susceptum. Et, si hoc tempore in theologia profecerit, post completum septennum, et non antea, per solennem inaugurationem baccalaureus fiat.

ix. De illis qui ad academiam xxiv annos nati accedunt.

Qui ad academiam viginti quatuor annos nati accedunt, et se studio theologiae totos tradunt, si omnes hujusmodi exercitationes coluerint, quæ ad magistros artium ad theologiam conversos spectant, post decennium, ad gradum baccalaureatus theologiae accedere poterunt, sine ullo in artibus gradu suscepto: ita tamen, ut officiariis pro inferioribus gradibus, more ab academia recepto, satisfaciant.

x. De baccalaureis theologiae.

Theologiae baccalaureus theologicam lectionem audiat quotidie: in quæstionibus theologicis bis opponat; semel respondebit, idque doctori, si commode fieri poterit: Latine semel, Anglice semel, concionabitur in academiæ templo, et semel ad Crucem Divi Pauli, infra annum a gradu suscepto. Quinquennium post baccalaureatum susceptum in theologia progressus, poterit vocari in ordinem doctorum. Si quis, cupiens cooptari in ordinem baccalaureorum, aut doctorum theologiae, non responderit, nec opposuerit secundum ordinem supra præscriptum in iisdem statutis, is

Cambridge University Press

978-1-108-00039-0 - Cambridge University Transactions During the Puritan Controversies of the 16th and 17th Centuries, Volume 1

Edited by James Heywood and Thomas Wright

Excerpt

[More information](#)

1570] DOCTORS OF DIVINITY AND BACHELORS OF LAW. 9

nihilominus poterit baccalaureus fieri, si semel doctori responderit; et publice unam concessionem ad clerum, et alteram ad populum habuerit; et infra annum post gradum susceptum, unam ad Crucem Divi Pauli: et post baccalaureatum idem poterit esse doctor, si semel doctori responderit, et unam concessionem ad clerum habuerit in academiæ templo ante ejus admissionem, et alteram ad Crucem Divi Pauli infra annum sequentem, modo quinquennium compleverit post gradum baccalaureatus.

xi. De doctoribus theologiae.

Post tantum laboris susceptum, et tot pericula atque examina, nolumus plus laboris doctoribus imponere, quam ipsi volunt sua sponte suscipere; nisi quod semel infra annum suscepti gradus, quæstionem ipsi sibi proponent in publicis scholis, cuius ambigua et dubitationes dum in utramque partem enucleaverint, definient, determinabuntque, sub pena quadraginta solidorum academiæ solvendorum.

xii. De legum studiosis.

Qui a primo in academiam adventu legibus operam dabit, primum annum integrum institutionum lectioni domi suæ impendat: deinde quinquennium totum publicum juris professorem audiat: respondebit publice semel professori, aut alicui doctori ejusdem facultatis, antequam fiat baccalaureus juris. Qui fuit ante baccalaureus artium, quatuor annorum studio juris poterit esse baccalaureus, si ordine præscripto responderit.

xiii. De legum baccalaureis.

Hic etiam regium in jure professorem audiat quinquennium: respondebit hoc tempore bis in suis scholis; opponet semel, et cooptabitur doctor. Magister artium septennium dans operam legibus, et cæteris perfunctis, quæ hic requiruntur, poterit cooptari inter legum doctores.

Cambridge University Press

978-1-108-00039-0 - Cambridge University Transactions During the Puritan Controversies of the 16th and 17th Centuries, Volume 1

Edited by James Heywood and Thomas Wright

Excerpt

[More information](#)

10

WHITGIFT'S STATUTES.

[1570]

xiv. *De legum doctoribus.*

Doctor legum mox a doctoratu dabit operam legibus Angliæ, ut non sit imperitus earum legum quas habet sua patria; et differentias exteri patriique juris noscat.

xv. *De studiosis medicinæ.*

Medicinæ studiosus sex annos rem medicam discet, ejus lectionis auditor assiduus; anatomias duas videat; bis respondeat, semel opponat, antequam baccalaureus fiat.

xvi. *De studiosis chirurgiæ.*

Chirurgiæ studiosus duas anatomias faciat, tres ad minimum curationes se fecisse probet, antequam admittatur ad praxin chirurgiæ.

xvii. *De baccalaureis medicinæ.*

Baccalaureus medicinæ respondebit bis, semelque opponet, anatomias tres, aut ad minimum duas videbit: et tunc post quinquennium a gradu baccalaureatus suscepto, admitti poterit ad doctoratum in medicina.

xviii. *De doctoribus medicinæ.*

Post solennem disputationem et inaugurationem suam medicari licite poterit in omni medicandi genere. Magister artium septennum rei medicæ dans operam, postquam bis doctori in eadem facultate responderit, semelque opposuerit publice, poterit fieri doctor medicinæ.

xix. *De modis approbandi eos qui gradum magisterii in artibus suscepturi sunt.*

Omnis cooptandus in ordinem magistrorum artium sive alicujus collegii, sive propriis sumptibus alatur, primum approbetur a præposito et majori parte sociorum collegii cuius est, vel a præposito et majori parte seniorum, juxta singulorum collegiorum statuta et consuetudines. Et col-